

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 42.

Elysium-Meum, Die Martis, 19. Jun. 1810. (Neov. 31. Maj. 1810.)

De Populatione.

Animadvers. secundum T. H. Malthus.

Multiplicasti gentem
Sed non — laetitiam.

Erat articulus temporis, quo Statistæ, Politici, Cameralistæ, nostræ florem Civitatis in populatione seu Incolarum Incremento situm autumabant. Multiplicabant gentem — sed non laetitiam. —

Continuus conatus, (scribit *Malthus* natione Anglus) quorumvis animantium, genus solum multiplicandi, nonnunquam rationem subsidiorum vitæ alendæ, quibus parandis aut procurandis paria sunt, excedit. — Explicatio hujus progredientis continuo populationis principii, ejusque in felicitatem humani generis actionis, opportunissima, quæ applicabilia, media populationem in aqua cum alimentis vitæ ratione conservandi, emolumenta ex eo pro meliore socialis vitæ conditione deducibilia — hoc profecto plenum salebra argumentum est, disquisitione dignum. —

Facile ratio supputari potest: populationem territorii e. g. 11 millionum Incolarum, si nullo obice turbetur aut minuatutur

intra 25 annos duplicandam, proin ad 22
 milliones extendendam esse. — Verum non
 in eadem ratione vitæ alimenta augeri que-
 unt — quippe hæc, etiamsi optima Cultu-
 ra ex terra (communi rerum fodina) extor-
 queantur, progredientur serie 1, 2, 3, 4, 5,
 6, 7, 8, 9 tum rursus regredi incipiunt, in-
 terea altera ex parte genus humanum sub
 non impedita populatione in ratione 2, 4,
 8, 16, 32, 64, 128, 256, semultiplicaret.
 Si proin planetæ nostri Incolæ ad 1000 Mil-
 liones excrescerent, hi Incolæ intra Spatium
 2 Sæculorum in ratione alimentorum essent,
 ut 256 : 9. intra 3 Sæcula ut 4096 : 13 &
 post 20 Sæcula proportio esset infinitesima.
 Impopulationem 11 millionum in Civitate as-
 sumendo, nutrimenta in his adjunctis & ter-
 ræ producta sufficiunt. Fac illam intra 25
 annos in 22 millionibus duplicari, fortassis
 fieri potest, alimenta intensa Cultura dupli-
 cari. — At rursus 25 post annos Incolarum
 numerus ad 44 milliones exsurget, alimenta
 vero secundum supra memoratam propor-
 tionem in 33 consistent; — age, quid fiet,
 si populatio ad 88 milliones pertigerit? vix
 dimidiam partem alimentis providere lice-
 bit. — Fine sæculi primi populatio in 170
 millionibus constitit, contra, alimenta nec
 55 milliones saturare poterant, ut proin 121
 milliones inedia & fame perire debuerint.

Ex his præmissis elucet: principium po-
 pulationis de periodo ad aliam, principium
 vitæ alimentorum longe excedere. Ad con-

servandam proin existentem populationem cum productis in proportione, necessum est ut altior quædam lex quovis temporis momento progressibus illius obices opponat & eam minuat — quovis momento ut duram necessitatem læthali suæ sententiæ subiciat, ut ambo hæc principia maxima, qua potest, proportione, & certos inter limites consistent.

In universa rerum natura continuuæ nisum generandi animadvertere licet. In regno vegetabili quot annis copia seminum producitur; arbores fructibus suis semen novarum arborum inclusum tenent, paucae nihilominus plantæ, psucae arbores sibi relicte adolescent — quo fit: ut natura immensas opes prodigat ad perpetuitatem in paucis aliquot duntaxat excrementis obtinendam; numerosi obices ei adversantur, & ex millibus granulis sibi relictis vix unum ad maturitatem perducitur — cætera ab insectis, animalibus, defectu foecundi soli &c. enecantur.

Eadem ratione altior vis innumera impedimenta superflue & proportioni cum alimentis opposita populationi posuit; possunt hæc in duas partes dispesci, *moralia* & *physica*.

Moralia impedimenta promanant ex corruptela morum. Juvenes homines mature luxuriæ voluptatisque illecebris se dedunt; sexus foemineus in magnis urbibus inolescit, foedi morbi vitam erodunt, quos subin languida valetudo & innumera mala consequuntur. Providi homines legitimam conjunctionem metuentes, quod hodierna ætate sum-

tuea sit & calamitatem egestatemque portendat, coelibes manent, atque vel inter Continentiæ virtutis cancellos se constringunt, aut ruinam adferentibus viis, validitudinemque perdatibus mediis se indemnes reddere pergunt — ad hunc locum referri potest vigen epidemicum virus hodiernorum Aestheticorum mentis suæ statum tantopere excolentium & infirmantium! — atque mollis effæminataque vivendi ratio, quæ in opulentiorum Civium Classe magnopere invaluit.

Impedimenta physica innumera sunt, & vere læthalia. — Negotia & operationes multorum opificiorum, quæ locis insalubribus peragenda, alimenta valetudini noxia, extrema egestas, duræ & acerbæ satorum vices, aeris impuritas, in amplioribus urbibus, aut locis insalubribus, omnia morborum & epidemiarum genera, lues pestifera, fames & — Bella! —

Id quidem evictæ veritatis est: variolas & morbillos olim diras in prolibus strages exeruisse; vaccinationemque (insitionem variolarum vaccinarum) grandem populationi opem tulisse; ast hic morbus nequaquam vetus est, prisco ævo non vigere; quis scit: quod genus novi morbi vaccinationem secuturum sit? —

O! veritas invicta est: altiore lege continuos obices proportionatos poni in progressionem populationis, ut cum vitæ alimonia æquilibrium teneat.

Ipsæ politicæ notiones in sanitatem hominem, proin & populationem, actionem exerunt, En exemplum!

Londino 3. Maji. Novissimæ turbæ Londini adeo vehementer inamænâ in Susm Maj. actionem exeruere, ut Eadem aliquot diebus valetudine adfecta, visus, qui residuus erat, jacturam fecerit; Rex ex hoc malo convaluit quidem, at dum animi causa deambulat, opera ductoris, qua antea non egebat, opus habet. —

Rege laniâibus orbatò, oculosque operationi chyrurgicæ subdicere meditante, quæstionem suscitant oppositionales paginæ: Utrum in casu quo operatio sinistre cederet, Rex exercendis regis functionibus par futurus sit? aut potius mutationis in regimine locus esse debeat? — Ministeriales paginæ postremum inficiantur, cum rex, quamquam orbis lumine, perfectè nihilominus sanus sit. — Moerori regis solatium inspergitur sequens: die 4. h. m. Londinenses urbis Ingenui epistolæ subscripsere, qua Constitutioni Parlamentoque adhærere se declarant, quæque moliminibus Burdett plene adversatur. Maritimæ Britannicæ vires hodie constant 1163 bellicis navibus, e quibus 152 de linea. Parliamentum post aliquantam disceptationem Duci Brunsvic. 7000. Lib. Sterl. & Ferdinando IV. R. Sic. 40,000 L. S. decrevit.

Lord *Mulgrave* Supr. Rei Tormentariæ Præfectus, & Collegii rei torment. Minister Carolus vero York Minister rei maritimæ Creatus est.

Politica Parisinæ paginæ continuo negotiis Portæ se serio occupant. Una harum

quæ unica ratiocinio politico indulget, exque eo pro organo tersioris politicæ Coronæ metropoleos haberi potest, quæstionem movet: an tempus Muselmannico Imperio promissum præterit? An vigentes Constantinopoli traditiones, quæ ibi popularis superstitionis terror sunt, an inquam implemento suo proximæ sunt? An Constantini Urbis Mahomedis progeniem per Bosphorum remeantem, finesque quos tam temere prætergressi, postliminio iis adimi cernat? hæc quæstiones de præsentis distinent magnam partem publici.

I. Vigens mos, Gallo Gallinæo tempestatem indicanti similis.

Anno 1809 Parisiis novissima *Moda* erat Castanei coloris vestis — præterita ætate viridis Coloris. — Coeruleum flavis e metallo nodis amatum erat hyberno tempore negligenter se induentibus vestimentum. Habitus Carmelitici ut vocant coloris, coeruleum extrusit. — Heri Cultus viridis cinereo Colore mistus cum bilteo nigro Collari fuit *non plus Ultra* boni gustus. At (O inconstantiam mundanam!) hodie omnes hi vestitus ad Canisterium more Studiosorum ex Universitate — relegati. — Oportet absque misericordia Coloris lauri foliorum vestem gestare. Qui igitur ad *Modam* vestitus esse cupit intra 15 menses sexies vestes novas curandas habuit. Ergo ne mirum artifices suendi peritos, (vulgo *Sartores*) intra tam breve tempus ditescere

re, contra: elegantes dominos tanto cœlus pau-
peres fieri? Si quæris: qualis Color ille sit,
foliorum lauri in veste? — tum ad defini-
tionem exacte dandam, mens adstringenda
est. — Non est puliceus, neq. Coccoladæ —
neque viridis, sed neq. flavus — sed ex omni-
bus aliquid participat his Coloribus. — Non
est is amœnus, non pulcher, neq. levis pretii —
verum — est — *secundum Modam*, — Ea his
annitur Criterium vigentis moris! —

II. Apis — Formicæ.

Apicula Heliconem penetrans, susurrum
pro foribus pedissequæ Deæ Clius edidit, „Ca-
ra Deæ famula! ajebat, apis sum, alas pro-
mittere debeo, aculeus mihi evulsus est. —
Miserta puella miseræ apis, ad Aesculapium
eam expedit, apud quem turba ægrotorum
Poetarum, Historicorum, Astheticorumque opis
quærendæ Causa aderat. Ille commendatio-
ne motus sanitati restituit quidem spem, ast
alarum jacturam tulit et aculeo carebat. Gau-
debat nihilominus se convaluisse, cumque
apis esse nequiret amplius, Formicæ formam
induit. „Volare, ajebat, pungereque non pos-
sum equidem amplius, at serpere adhuc va-
leo, quamquam non in ullo politico territo-
rio.” — *Mutato nomine de te fabula narratur!* —

III. Problema Oeconomico — physicum. —

Quæ Causa, Cerasos acidas, Acaoiar, alias-
que præterea fructigeras arbores primo vere
dum florent, fulgure aut procella adeo tete

reti, ut earum flos, nonnunquam & rami flaccescant, exareantque? — Et cur hoc phenomenon in dulcibus Cerasis aliisque arboribus locum non habet? — Ex quibus de trigiata annis hanc quæstionem rerum peritis, præprimis naturæ scrutatoribus decideadam, sæpenumero proposui, at proh dolor! curiositati meæ exsatiandæ impares erant. Fortassis ex eo tempore experientia profecit, quæro ergo iterum iterumque! —

IV. *Moratus. Moralis.*

Moratus differt a *moralis* per id, quod vox hæc bonam duntaxat externæ agendi rationis & decori indolem denotet — *moralis* contra, concordiam omnium liberarum actionum cum earum legibus. — Virtuti deditus vir, *moraless* vitam agit, Sceleri devotus, interdum *moratus* est, at *moralis* nequaquam.

Regula vivendi.

ex germanico.

Qui cupit in pelago felix incedere vitam;
 Cum tribus hoc sociis, ingrediatur iter:
 Compassum, navem immissam, quo dirigat, alto,
Moraless legem deligat, atque colat.
 Princeps remus, quo fluctus compestat & undas;
 Esto amor, eique comes dulcis *amicitia*.
 His ita dissociatus portum metamque laboris
 Aeternam vitam præstruat ille sui.

A. F. P.